

viem ingentein, sensumque malorum acutissimum continet. Cujus synonyma sunt: Status *opprobrii*, status *ignominiae*, *ignis æternus*, vid. Dan. XII, 2. Matth. XXV, 23. 46. dicitur etiam alias, *pæna sensus*. Terminus autem *Prægustus* quum non ita pridem in Dissertatione de *Prægusto æterne beatitudinis expositus* sit, benevolum lectorem eo ablegatum volumus: id solum hic repetentes, quod notiones *gustandi* & *prægustus* proprie ad sensus & ad forum physicum pertineant: quoniam τὸ gustare rerum materialium est; hic autem *prægustus* damnationis versetur etiam circa ea, quæ ad animam formaliter spectant, adeoque circa objectum immateriale, quale speciatim est *pænia damni*, quam vocant, i. e. totalis, omnium bonorum spiritualium, quibus animæ sanctorum recreantur ac beantur, & *sensus* doloris exquisitissimi, quo anima Deum iratum experita afficitur. Quemadmodum igitur alias in Scripturis S. frequentiore usu receptum est, vocabula sensuum ad intellectum & voluntatem atque harum facultatum operationes immateriales denotandas per metaphoram & ex vi similitudinis usurpare: ita & h. l. illud fit, & videri potest *Hiobi. XX, 25.* ubi *mori בְּנֵפֶשׁ מַרְאָה* in anima amara idem est ac mori in summo mœrore & angoribus gravissimis: prout & alias *amarum esse* & *amorescere* metaphorice calamitates magnas significat; sicut ingrata sunt gustui amara. Vid. B. *Glaßius Rhet. S. Tract. I. C. XII. p. 361. (1305.)* & *Edoard. Leigb. in Crit. S. voce מַרְאָה* P. I. p. 84.

§. III. Important igitur hi termini junctim positi, & ex vi vocis, & ex usu loquendi, intelligentiam & sensum pœnarum infernalium damni & sensus, sive privativarum & positivarum; non tam actum ejusmodi, quo equidem homo actu libero, animoque quieto, meditatur statum illum miserrimum impiis expectandum; quam tristiorum ac dolorosam perceptionem malorum istorum: quando scilicet homo videt (præprimis quidem in mortis agone, corpore omnibus pene viribus exhausto, attamen & alias) occurrere sibi sui peccata, illaque oculis mentis perlustrans, seipsum reum agit, sibi
I 2 ipsi